



LIBER VNDECIMVS
PARALIPOMENON.
Historiæ animalium.

CAPVT I.

De lacu albo.

Pifces aquæ naturam fortiuntur, maxime clari, albi, pelucidi, ex aquis limpidis eduntur: cænosi è cæno vt apud nos tinæ in vrbium fossis. Et nigri è nigro flumine iuxta no-uam arcem in Filandia, quamuis naturâ lucidi sint vt Salmones & trotta: bituminosum enim flumen est. Longi pisces boreali vento impinguari feruntur, lati australi, quoniam humidiores sint, illi calidiores. Est & vltra Moschouitas lacus albus copia piscium & bonitate admirabilis: sic dictus quod ob bitumen pauca aquæ aded puræ inueniantur: vel quod inter nives & glaciem sit. Sunt & ibi aues pluma molliore, frigori aëtris per auxilium impendente natura. Sunt & raræ aues vt onocrotali & Allæ à voce quæ id resonat sic dictæ, nigra hæ & pigræ, sed perpetuo quasi strepentes. Vnde perpetuo lacus ille resonat vocibus diuersarum auium: nam lux perpetua ibi viger ob poli altitudinem, additis vtrisque cæpufculis vespertino atque matutino, tum lunæ plenæ splendore. Piscium natura aded fecunda est, vt oua limo etiam per annum seuentur, vt in Nili paludibus apparet. Ob id etiam quidam erutum limum seruant, & post vernum æquinoctium spargunt ad propagandos pisces. Referunt etiam in Aquilonari mari, duos esse pisces instar latronum, quorum vnus leporina facie non maior palmo, spiculis in dorso armatus, quem omnes refugiunt, inutilis mensis: alter admodum horrendus, anteriore parte rostro quasi nauis, ore sub ventre condito, aculeis in dorso antrorsum vergentibus: macilentus, quod perpetuo pisces alios persequatur, inutilis & ipse cibo. Alius fœdus sed vsui culinæ aptus, capite bubali aded incuruo, vt ferream equi soleam referat. In Schoningiæ quoque littore, tantam halecum multitudinem congregari aiunt, vt claua proiecta non descendat in aquæ inum: splendent his piscibus oculi aded, vt agmen quasi fulgur scintillans videatur, verum statim ab aqua extractum expirat.

Tom. X.

CAPVT II.

De piscibus quadam præcipua.

Est piscium genus vnde quaque medium inter plantas & sanguinea animalia. Primum quoniam plantæ nullo modo respirant, sanguinea respirant aërem: pisces attracta per branchias aqua restaurantur. Plantæ in terra viuunt, ibi enim est origo vitæ illarum, sanguineorum in aëre, pisces vitæ originem in aqua habent. Plantæ sensu carent, sanguinea exacto prædita sunt sensu, pisces hebeti: plantæ immobiles prorsus, sanguinea per se mouentur, pisces quia à medio sustinentur & per medium. Plantæ non habent humorem, sanguinea habent per venas discurrentem, pisces habent sed non perfectum, neque in venis. Plantæ caput habent infra corporis reliquum, pisces è regione, sanguinea supra. Sunt præterea inter pisces monstra admiranda, tum magnitudine, tum forma, quorum tanta est copia etiam in Noruegia: vnde ibi etiam tum ob id, tum ob glacies, tum ob tempestates piscatio periculosa, cum alioquin lucrosa sit, vtilitatem ac facilitatem periculo & incommodis pensante natura.

Ericus Falchendorus Nidrosiensis Episcopus, in epistola ad Leonem X eius nominis Pont: Max: refert esse in Boreali oceano piscem è cetorum genere, capite decem & amplius cubitorum, colore nigerrimo, vndique spinis ac cornibus horrido; cæterum reliqua parte pilosum, ac velut anserinis pennis longis densisque contextum: cuius longitudo non capiti proportionem respondet, cum vix sit cubitorum quindecim, caput verò ipsum quadratum; & in eo oculi prægrandes, quorum ambitus duodecim est cubitorum, pupilla verò transuersum cubiti vnus ac flamma, nauis que facilè euertit.

Aliud referunt esse genus, quod ciliorum loco cornua in singulis oculis habet CCL ferme longitudinis, sex aut septem cubitorum, quæ modo erigit, modò remittit. Oculorum ambitus XV pedum, spatium verò inter illos XX, vt ex his possis coniectari magnitudinem illorum totam, quam immensam esse oportet. Con-

SSS 3 stantini

stantini Primi Imperatoris ætate referunt captum cetum triginta cubitorum longitudinis, decem latitudinis, qui iam totis quinquaginta annis præcedentibus naues submergere solebat: vt facillè intelligamus vitam eorum esse prope centum annos. Thimemuthi etiam in Anglia anno MDXXXII mense Augusti, cetæ captum fuit longitudinis pedum X C, altitudinis ferme XXX, mandibulæ longitudo XXII, ambitus quatuor, rictus oris X X, costæ X X X, in singulis lateribus longitudinis X X I pedis, ambitus maiorum sexquipedis: ventres tres in modum specus vasti, gutturis annuli X X X, quotum quinque prægrandes erant. Primæ duæ longitudinis pedum X V, caput pedes habuit in longitudine X X I, palatum laminis corneis distinctum erat, altera parte pilosis. Aliud Volaterræ anno M C C C C X C V I I I longitudinis pedum. C. Vertebrae L X ephippij magnitudine. Solent his vti boreales pro mortariis, veluti pro tignis illorum costis: toto verò corio, spina, costis, domum quandoque contegunt bifariam diuisam; atque in ea cors, triclinia, cubacula, penu, exedrae. Ferunt qui ibi dormiunt, naufragia & tempestates somniare. Referunt etiam ab Eratosthene alium visum cetum C L cubitorum. Videri tamen insulam verisimile non est, cum aded nudæ non esse soleant: Scopulum fluctuantibus vndis, ne non immotus videri possit, haud absurdum: mouetur enim illa, & scopulus moueri videtur. Olaus Magnus refert ibi videri caerulei coloris ambra multam in mari, vbi cetæ abundant. Sed tamen non è Germania aduehitur ambra, sed ex oriente. Apparet etiam ibi Suamfisichus pinguis aded piscis, vt pelle & pinguedine pro capitis tegmine vtatur, quem putant ob timorem suas edere carnes. Sunt & monstra humana facie & leonum effigie, quæ si capiuntur, bellum portendere putant: velut & serpentes in antris littoris Noruagici C C pedum longitudine, altitudine X X, & in Moos insula, vnum longitudinis L. cubitorum: exitium aut tumultus Regibus prædicere cum apparuerint.

CAPVT III.

De Crocodilo.

K *Προβειλον* quasi crocum, aut chordulam seu filum fugiat, aut quia in litore seu arena crepusculo soleat degere: vasta est bellua, pedes longa, nonnunquam X I V. Tantus erat quem Bononiæ vidi Pridie Calendas Iulij M D L X I V, corio subnigro, crasso, vario; cauda quæ quincuncem totius longitudine non attingit, trientem supera lata, admodum sensim in angustum desinente: robusta admodum, vt equum elidere flagellando, & crura il-

lius frangere valeat. Dorso & cauda cuspidibus quasi oblongis, quibus armatur protuberante, recta à capite ad caudam imum tendentibus ordinibus sex, digiti in pedibus quini, etiam vngues toridem, acuti, nigri, longitudine vnguium aquilarum: & ipsi incurui cruribus pro corporis ratione breuibus, idque solum vt reor ad natandum præsidium; collo recto, obstipito, quod mandibula inferior pectori ossæ continetur: vnde neque illam mouet, vt cætera animalia, neque collum inflectere potest: quo fit vt si quis à recta declinet, non facillè cum collum contorquere nequeat, fugientem assequatur. Dentes habet pro magnitudine fere paruos, nec continuos, sed equorum ferme more, vt in media mandibula sint rariores. Sunt autem sexaginta quatuor, vix digiti transuersi magnitudine prominentes, teretes & acuti, atque inuicem diuisi, more dentium piscium in his: hoc est insigne quod duo ac duo dextra sinistraque superius atque inferius, vt sint omnes octo prælongi caninorum instar: sed singula paria aded prope sunt, vt quasi se inuicem tangant, teretes, acuti, crassitudine in imo humani digiti, longi prostant, quantum auricularis in homine digitus, lingua exerta, oculi in lateribus in summa extremaque parte superiore capitis mediocres, ac quasi vt in lacertis lingua nulla, os vastum vt integrum hominem commode comprehendere possit. Ex hac descriptione, quod de Tentyritis fertur, verissimum esse vel quondam fuisse reor: nam freti summa audacia dorso insiliunt, tum animal expauescit: neque enim vnguibus illos vicisci potest ob crurum breuitatem: nec dentibus, cum collum inflectere nequeat vllam in partem: nec cauda, quam ob latitudinem & rigorem in dorsum non potest retrahere aut circumagere: ea igitur molestia atque periculo, nam occidi claua, verberari baculo, ad arbitrium insidentis possunt, etiam si vel in terra, vel in aquis desiliant aut delabantur, aut venientem videant, tam immenso terrore corripuntur, vt impores sui solum de fuga cogitent: magno lucro obliui tantarum vitium ponant euasisse: vitare autem oportet os & caudam ictum. Agnoscunt autem illos quod aduersum eos ferantur, & voce quam ex industria peculiarem edunt vt belluæ, etiam non visos timere discant & fugiant: aut si non possunt, immemores armorum suorum præ metu torpeant; vt dubium haud sit hæc fabrica huius animalis, hoc sibi asciscere miraculum. Vidimus & duo animalia, quaternis pedibus, similia lacertis, magnitudine felis, sed caput non oblongum est aded, vt lacertis: cauda vero loricata & lata admodum, qualis proportione Crocodilis, frequentibus pertransuersum veluti loricis acutis, aded vt spinosa videatur. Ichneumones fuisse dicunt quamquam Aristoteles quales sint non describat, animal tamen parere fertur à Plinio: at mihi potius ad oua pariendum aptum

aptum videtur, cum sit forma crocodilo & lacertis simile. Alij Cordylum volunt esse Aristotelis: non sanè potuimus videre an branchias haberet, quas solus habeat quadrupedum, quod capitibus essent crosis.

CAPVT IV.

De mure Alpino.

INter animalium miracula illud recenseri potest, quod narrat Andreas Matthiolus, se sapius expertum, muris alpini quem vulgari nomine vocamus Marmottam, dentes illos quatuor anteriores quos habet prælongos, quibus grauiâ infligit vulnera; arrodit etiam vestes, libros, & quæcunque ei obuiam veniunt, præcisos, **XXIV** in horis tantundem crescere. Quod si ita est, necesse est materiam abundare primum, & esse valde terream, nam talis citò concrefcit, calorémque loci robustum. Id verò consuetum: nam insueta non facile natura perficit. Restauratur ergo sapius, & magna quantitate; tantundem igitur perit. Si igitur multam perit & atteritur, molles sunt dentes.

CAPVT V.

De vipera.

Vipera est animal sine pedibus cum cauda breui, & collo valde tenui, & capite plano, humili, prope collum valde lato, & cum ambulat exsufflant, & strepitum faciunt, & sunt flavæ in dorso, & oculi viuaces atque feroces, & mouentur cum impetu dum volunt, & non sunt cornutæ, neque valde breues vt aspides, & sub ventre non sunt candidæ, puræ, nec sunt varij coloris, neque valde magnæ & crassæ: nam tales sunt *ἀφραμάνης*; & scemina habent à lateribus saltem duos aut tres den-

tes, ex quavis parte prælongos, & sub ventre maximè post partum, scissuram longam quantum est caput lacertæ magnæ, & pariunt fœtus sex aut septem, & longè plures, digiti ferme longitudine, valde tenues; & in pariendo si possunt, vt pendent. Et quod valde mirum est, nati fœtus in pyride vitrea, se inuicem in globulum inuoluunt, & absque cibo crescunt per aliquot dies: tamen adeò vt fiant crassi ad quantitatem dimidij minimi digiti: seu, quòd nutriantur humido, quod adhæret corporibus eorum mutuo: seu vaporibus seu seruato in visceribus, seu quòd in ventre compressi extra paulatim extendantur. Odit gallum, & ille vicissim ipsam timet. Aggreditur igitur illum in crista insiliendo, & subito interficit: nonnunquam, ex collo cum non potuerit attingere, & etiam tum statim necat, non solum ob venenum sed antipathiam. Vfus eius ad medicamenta debet esse, scemina & nuper captæ: Et in regionibus orientalibus, vt in Græcia præcipue in montibus: nam in Italia præcipue circa Apeninum sunt inefficaces. Et signum roboris earum est, quòd mouentur velociter, & insiliunt longius, & exsufflant cum strepitu, & eleuant caput multum, & quod pullo deorsu ocyssimè perit. Et terra Melitæ insulæ multum prædest morfui eius, à proprietate bibita & imposta.

CAPVT VI.

De piscibus capiendis.

Hamo, reti, tridente, siccata aqua, bolo qui fit ex quouis; herba ferente lactaria: purgans, vt tithymali generibus lactaria: item helleboro, bacca Syria: & quæ immersa aquis, occidunt illos velut lino, & vidi, nassa. Decipiuntur & nocturnis ignibus ad quos aduolant. Sed qui bolo capiuntur, exenterari debent: omnium innoxius magis est, qui ex calce fit: deterior corruptis aquis, vnde statim cum ægrotant eximendi sunt.